

audite cives: P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro, et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me ut unum, jus, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: esse vero timendum, quonam modo id factum ferret civitas. Nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum reipublicae profuisse, maxima laetitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat, et sentiat? Nequeo, vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia, judicare: multas tamen jam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriae, judices. Spero, multa vos liberosque vestros in republica bona esse visuros. In his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Cludio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et, quemadmodum confido, verissimam ad ducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et judiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc, P. Cladio vivo, contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetuae possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo, judices, ne odio inimicitarum mearum inflammatus, libentius haec in illum euomere videar, quam verius. Etenim etsi praecipuum esse debebat; tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, judices: nempe haec est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite animis: liberae enim sunt cogitationes nostrae, et, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem